

bilis de jure vel facto, nullam obligationem inducit. » Etiam si juramento firmetur : c. 1. et *Cum contingat*. 28. de *Jurejur.* ac c. 58. de *Reg. jur.* in 6. ibi : « Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum : » Neque « juramentum est institutum, ut esset vinculum iniquitatis, » c. *Quanto de Jurejur.*

20. *Impedimentum temporaneum non impedit fieri sponsalia.* — Dicitur tamen notanter « impedimentum perpetuum, » quia si impedimentum tantum temporaneum est, seu certo duntaxat tempore duret; uti est ecclesiæ vetitum, vel votum castitatis ad certum tempus, duos v. g. aut tres annos, bene possunt durante tali impedimento fieri sponsalia cum conditione tacita vel expressa, quod elapso impedimenti tempore contrahere matrimonium velint; Valensis, h. t. § 2. n. 1. Ledesma, de *Matrim.* q. 47. a. 15. dub. 2. cum communi arg. 1. *Solet*. 10. ff. de *His, qui notant. infam.* ubi dicitur, quod, « viduam quæ virum luget, intra id tempus sponsam fuisse, non noceat : » licet intra annum luctus alias de jure civili sit impedimentum matrimonii.

21. *De sponsalibus sub conditione, si Papa dispensaverit. Remissive.* — Gravissima hic occurrit controversia, an, et ad quid obligent sponsalia illorum, qui perpetuo laborant impedimento, contracta sub conditione : « Si Papa dispensaverit ; » ad quam controversiam intra dicemus tit. V. de *Conditionibus appositis*. Interea :

22. *Sponsalia clandestina sine presentia parochi et testium valent. Consuetudo est optima legum interpret.* — Quæritur III. An ad valorem sponsalium requiratur presentia parochi, et testium? Ratio dubitandi desumitur ex concilio Tridentino, sess. 24. de *Reformat. matrim.* cap. 1. ubi irritavit matrimonia clandestina; ergo idem videtur dicendum de sponsalibus, arg. 1. *Oratio*. ff. de *Sponsal.* Resp. tamen negative : communis, et hodie certa doctorum, utpote sæpius approbata in sacra congregatione, prout videre est apud Sanchez, de *Matrim.* lib. I. disp. 12. n. 2. et alios. Ratio est, quia dicta constitutio Tridentina est correctoria juris communis antiqui; ergo non est extendenda ultra casum expressum, arg. 1. *Præcipimus*. c. de *Appellat.* Accedit omnium tribunalium ecclesiasticorum praxis, qua videmus, approbari, et pro validis agnoscere sponsalia de futuro clandestine contracta. Praxis autem,

et « consuetudo est optima legum interpret. » c. *Cum dilectus*. 8. de *Consuetud.* et l. 37. ff. de *Legib.*

23. *Ad valorem sponsalium non requiritur consensus aut consilium parentum.* — Quæritur IV. An, et qualiter ad sponsalia requiratur etiam consilium vel consensus parentum, aut eorum, sub quorum cura nuptiari existunt? Resp. I. Ad valorem sponsalium nec consilium, nec consensum requiri parentum, aut aliorum, sub quorum cura existunt sponsalia contrahentes. Layman, lib. V, tract. X, p. 1, cap. 1, n. 14, cum communi et hodie certa aliorum, arg. can. *Sufficiat*. 2. cau. 27, q. 2, ibi : « Sufficiat eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur. » Concordat c. *Veniens*. 13, h. t. ac concilium Trident. sess. 24, de *Reform. matrim.* cap. 1. Accedit tribunalium ecclesiasticorum praxis et consuetudo sponsalia in occulto absque ullo consilio vel consensu parentum contracta, pro validis agnoscens.

Nec contrarium evincunt l. *In sponsalibus*. 7, § 1, ff. de *Sponsalib.* ubi dicitur : « In sponsalibus etiam consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur, » quod idem aliæ leges, et canones dicunt, præsertim can. 13, cau. 32, q. 2, etc. *Aliter*. cau. 30, q. 5. Resp. enim hanc et similes leges, ac etiam canones intelligendos atque interpretandos esse, quod vel de consilio, et non de præcepto loquantur; vel quod ad licita, non item ad valida sponsalia requiratur parentum consensus, aut consilium : vel denique, si loquantur etiam de valore, sint correcti per jura citata n. præced., præsertim concilium Tridentinum : prout patet ex continua Ecclesiæ praxi, ac consuetudine, quæ est « optima legum interpret, » cit. c. *Cum dilectus*, de *Consuetud.*

24. *Ut licite fiant sponsalia, tenetur quis saltem consulere parentes, quamvis sequi non teneatur.* — Resp. II. Ordinarie loquendo, ad sponsalia licite contrahenda requiritur, ut liberi prius desuper saltem consulant parentes, quamvis consilium sequi non semper teneantur. Laym. loc. cit.; Sanchez, lib. IV, de *Matrim.* disp. 23, n. 9 et 10; Menoch. consil. 69, a. n. 49, et alii communiter. Prima pars, quod saltem consilium petere teneantur, probatur tum ex juribus n. præced. allegatis; tum ex illa ratione, quod natura dictet, non debere quem negotium summe arduum (quale est matrimonium, utpote a cujus prudenti electione

plerumque et temporalis et æterna pendet felicitas) aggredi absque prævio saltem consilio illius, sub cujus cura est; præsertim cum in hoc cæcæ amor facile graviter decipiat improvidam, atque inexpertam juventutem, quæ hoc ipso sub cura aliorum esse, et ab eis dependere de jure jubetur. Accedit, quod liberi gravem irreverentiam irrogantes parenti, eumque graviter contristantes, graviter peccent contra quartum præceptum Decalogi juxta communem theologorum : atqui desponsantes se insciis ac invitis parentibus, irreverentiam revera gravem, negativam saltem, eis irrogant, eosque graviter contristant, uti experientia constat, qua videmus, quod parentes propterea contra liberos plerumque gravissime, simul ac justissime indignentur, atque contristentur, ita, ut sæpe non nisi per gravium virorum preces ac persuasiones placentur : ergo.

25. *Extraordinarie tenetur etiam sequi consilium, et subinde non tenetur petere.* — Secundæ partis rationem dat divus Thomas, 2, 2, q. 104, n. 5, in *Corpore*, et alii doctores citati, videlicet, quod in contrahendo matrimonio finaliter quivis sui juris sit ac potestatis, consequenter consilium alterius sequi non teneatur; cum enim per matrimonium perpetuæ quis judicatur servituti, ratio postulat, ut eidem in hoc eligendo finalis libertas relinquatur. Dices : Ergo frustra et inutiliter tenetur quis prius consulere parentem, si ejus consilium sequi non tenetur. Resp. negando illatum : quia multum juvare potest, dum nempe parentes a liberis interrogati et consulti, eisdem fidelissime aperiunt, detegunt, demonstrant, etc. quæ liberi nesciunt, ignorant, vel non prævident; ob quod dein ipsimet libere subinde a proposito desistunt, et utiliora quærent. Confirmatur a simili in his, quæ fiunt a prælatis, utpote qui in pluribus prius tenentur petere consilium capituli, quamvis illud sequi non teneantur, uti patet ex pluribus capitulis tit. de *His, quæ fiunt a prælato sine consensu capituli*.

26. Dicitur autem notanter in conclusione n. 24, posita : « ordinarie loquendo : » quia quando filius videt, quod si patrem consulat, is sponsalia cæteroquin honesta, et matrimonium subsequens, malitiose ob interesse v. g. proprium, aut ex inordinata passione sit impediturus; vel alia gravis causa patrem non consulendi adsit, non peccabit,

si etiam absque petito patris consilio clam sponsalia contrahat, et postea nubat. Sicut e contra, licet consilium, quod petere tenetur, ordinarie sequi non teneatur, tamen extraordinarie contingere possit, quod liberi parentum consilium in hoc etiam sequi debeant; ut si ex matrimonio prudenter timenda forent gravia scandala, graves inimicitiae, grave parentum præjudicium, aut aliud hujusmodi grave malum, quod liberi avertere tenentur. Sed de his, utpote solum conscientiae forum concernentibus, magis vide apud theologos, præsertim Sanchez, de *Matrim.* lib. IV, disp. 23; Layman, ut supra.

§ II.

DE VERBIS, ET VARIIS VERBORUM FORMULIS, QUIBUS CONTRAHI POSSUNT ET SOLENT, CONTRACTAQUE IN FORO EXTERNO PRÆSUMI, AC JUDICARI DEBEANT SPONSALIA.

27. *In foro interno judicium fit, et obligatio nascitur juxta intentionem proferentis verba. Verba intelligenda sunt juxta mentem proferentis.* — Sicut in pluribus aliis, ita et vel maxime in proposito distinguendum est inter forum in et externum. Et quidem loquendo de foro interno, seu conscientia, omnes conveniunt, verba quælibet accipienda, et intelligenda esse juxta mentem ac intentionem proferentis, arg. c. *Intelligentia*. de *Verb. signif.* ubi summarium sic habet : « Verba sunt intelligenda, non secundum quod sonant, sed secundum mentem proferentis. » Quod adeo verum est, ut, si desit intentio, et consensus internus, nulla in foro conscientiae sint sponsalia, qualiacunque dein verba proferantur, uti patet ex dictis. Ut proin in foro interno, ac in confessionali res omni careat difficultate; si enim pœnitens (cui in confessionali credendum) sincere assereret, se per hæc aut illa verba a se prolata nullatenus intendisse promittere alteri matrimonium, aut facere sponsalia; dicere ei potest et debet confessorius; ergo in conscientia eam ducere non teneris, poterisque tuta conscientia etiam jurato dicere, te alteri matrimonium non promississe, etsi verba protuleris secundum communem usum loquendi, vel loci consuetudinem significantia promissionem matrimonii, seu sponsalia. Imo poterit talis tuta conscientia etiam jurato negare, se talia

verba protulisse, videlicet in eo sensu, quo accusatur, aut interrogatur, ad contrahenda nempe sponsalia, aut serio promittendum matrimonium, juxta dicta supra n. 9, et lib. II, tit. XVIII, § 7, a n. 171. Dummodo damnum dein aliunde resarciat, si quod forsitan per dolosam, aut fictam promissionem alteri parti injuste intulit, prout cit. n. 9, jam dictum. Et contra, si pœnitens in confessionali fateatur, se per hæc aut illa verba omnino intendisse, ac voluisse alteri promittere matrimonium, seu facere sponsalia, dicere ei debet: ergo teneris eam ducere: etsi pars altera promissionem probare non possit; vel verba ita ambigua aut obscura sint, ut judex in foro externo ex falsa præsumptione te absolvat.

28. *In foro externo autem juxta sensum verborum externorum, nisi aliud probetur.* — Verum loquendo de foro externo secus est dicendum; nam quia ecclesia non cognoscit occulta vel interna, nec judicat de occultis, c. *Sicut tuis. de Simonia*, et can. *Erubescant. dist. 32*, juncta Glossa ibidem §. *Secretorum*. Jam hoc ipso judicare non potest nec debet juxta intentionem, quam se habuisse asserunt litigantes aut partes, sed secundum sensum, quam verba important, nisi aliunde sufficienter adversa intentio probetur; juxta dicta n. 7, et dicenda statim infra.

29. *Ordinarie fieri censentur sponsalia, quando proferuntur talia verba, per quæ juxta usum communem loquendi, ea fiunt. Verba intelligenda sunt secundum communem usum loquendi.* — Quæritur itaque I. Per quæ verba, aut verborum formulam in foro externo præsumi, et judicari debeat, contracta fuisse sponsalia, seu promissionem matrimonii? Resp. I. Universaliter, ac generaliter loquendo, et nisi aliunde de intentione constet; per illa verba, vel verborum formulam in foro externo præsumi et judicari debet, contracta fuisse sponsalia, seu matrimonium fuisse promissum, quæ juxta communem intelligentiam, communemque usum loquendi, aut loci consuetudinem sponsalia, seu promissionem matrimonii significant. Sanchez, *de Matrim.* lib. I, disp. 18, n. 4, dicens, ita docere universos; Sporer, ubi supra n. 178; Panormitanus, consil. 78, cum communi, et certa aliorum, textu claro c. *Ex litteris*, 7, h. t. ibi: « Si alter non intellexerit, quod alter proposuit, ad communem verbi intelligentiam recurratur, et cogatur uterque verba prolata in eo sensu re-

tinere, quem solent recte intelligentibus generare. » Concordat textus l. *Semper in stipulationibus. ff. de Reg. jur.* et in l. *Labeo. ff. de Supell. legat.* ibi: « Non enim ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudire debent. »

30. *Enarrantur variae verborum formulæ, quibus sponsalia certo fieri, præsumitur in foro externo.* — Similia verba juxta communem usum loquendi, ac intelligendi, sponsalia seu promissionem matrimonii certo indicantia, sunt sequentia, quibus vernacula pro majore claritate addere placet. *Promitto tibi matrimonium: et ego tibi.* (Ich versprich dir die Ehe, vel promitto, vel obligo me, quod velim tibi nubere, vel te ducere, vel tecum contrahere connubium: Ich versprich dir, vel obligiere oder verpfand mich, dass ich dich will zur Ehe nehmen, vel absolute, dass ich dich will nehmen: vel dass ich dich will heyrathen: vel dass ich mich mit dir will zusammen geben lassen.) Item *per fidem meam: vel quam vero vivo: vel quam vere homo sum: vel quam vere ita vocor: vel quam vero honestus sum: ducam te, vel accipiam te, nubam tibi, etc.* (Bey meiner Treu: vel so whar ich lebe: vel so warh ich ein Mensch bin: vel so wahr ich ein ehrlicher Kerl bin: so wahr ich Hanns heiss, will, oder wird ich dich heyrathen; solts mich haben.) Item *sim nequam, vel sim infidelis, vel diabolus me rapiat nisi ducam te, etc.* (Seye ich ein Schelm: vel seye ich nichehrlich: vel hole mich der Teuffel: vel straffe mich Gott, wann ich dich nit nehme, etc.) Item *Tu sis futura mea uxor: vel Volo te habere pro futura mea uxore, etc.* (Du solst mein künftiges Weib seyn, vel Ich will dich fur mein Weib haben, vel nehmen.) Notandum enim hic cum Sanchez, loc. cit. n. 12, cum plurimis ab eodem ibidem citatis, præsumi et judicari sponsalia, etsi expresse non adhibeatur terminus, *promitto, obligo, juro, etc.* sed simpliciter dicatur, *Accipiam te: ducam te: vel Volo te accipere, ducere, nubere, etc.* (Ich will dich nehmen, vel heyrathen, etc.) Cum enim etiam per hæc verba implicite et tacite promittere ordinarie intendant, ita eos intendisse præsumi et judicari debet, arg. cit. c. 7, h. t. et l. *Labeo. ff. de Supellect.* tit.

31. *Judex ad hoc attendere debeat in judicando, an per verba aliqua contracta sint sponsalia.* — Resp. II. In judicando, an, et per quæ verba promissio matrimonii, aut spon-

salia sint contracta, debet judex in foro externo etiam attendere ad alias qualitates, v. g. ad conditionem et qualitatem loquentium, ad usum, et consuetudinem loquendi, ad antecedentia, et subsequentia, seu quid tunc inter partes actum sit, et hoc præcipue tunc, quando verba ex se sunt dubia, obscura, ambigua, etc., Sanch., loc. cit. n. 4., citans Covarruviam, et alios. Ratio patet, quia ex his aut similibus circumstantiis, utique subinde judex prudenter colligere, præsumere, et arbitrare potest, loquentium mentem ac voluntatem, sensumque verborum, quem tunc intendebant, arg. c. *Solita de majoritate et obed.*, etc. *Intelligentia.*, 6, de *Verb. signif.*, ibi: « Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi; quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus, » et ibi Glossa §. *Ex causis.*

32. *Proponuntur variae verborum formulæ controversæ.* — Quæritur II. De quibusdam verbis, verborumque formulis in specie, an, et quando per ea, sponsalia contrahi, et contracta esse. in foro externo præsumendum sit? v. g. *Nec ducam aliam quam te; vel Nulla alia tanget latera mea, quam tu:* (Ich will keine andere nehmen, oder heyrathen als dich: vel, Es soll mir keine an meine Seite kommen als du: vel, *Tu es mea, vel sis mea charissima*, du bist, oder sollst meine Gliedste seyn: vel *propino tibi ad matrimonium*, ich bring dirs auff die Ehe: vel, *Tu es mea uxor, et ego tuus maritus*, du bist mein Weib, und ich dein Mann: vel, *Promitto tibi amorem, et fidelitatem meam*, Ich versprich dir mein Lieb und Treu: vel *Promitto quod velim tibi manere fidelis*, Ich versprich, dass ich dir will treu verbleiben) vel *Promitto tibi, quod non amplius, vel unquam te velim deserere.*

33. *Verba: Non ducam aliam nisi te; non faciunt absoluta, sed tantum conditionata sponsalia: videlicet: Si aliquam ducam, te ducam.* — Resp. I. Quamvis non desint doctores dicentes, per illa verba: *Non aliam ducam quam, vel nisi te,* (Ich will keimandere nehmen, oder heyrathen als dich; vel, *Nullus, vel nulla tanget latera mea, quam tu.* Es soll mir keiner, oder keine an meine (Seite kommen, als du, etc.), veram fieri promissionem matrimonii, vereque sponsalia contrahi, uti videre est apud Sanchez, lib. I, de *Matrim.*, disp. 19, n. 3. Nihilominus probabilius videtur, per similem verborum formulam sponsalia non contrahi, nisi ex cir-

cumstantiis, quas juxta dicta n. 31, judex considerare debet, aliud prudenter colligatur; Sanchez, loc. cit., n. 5; Gutierrez, can. qq., lib. I, q. 21, n. 13; Layman, lib. V, tract. X, p. 1, cap. 1, n. 2; Sporer, p. 4, cap. 1, sect. 2, n. 85; Alciat., in l. *Actione, C. de Trasanct.*, et plures alii apud Sanchez, Rota decis., 656, n. 4. Ratio est, qua similia verba faciunt duntaxat sensum exceptivum, et conditionatam promissionem, videlicet: *Si aliquam sum ducturus, te ducam.* Hinc licet vi talis promissionis talem ducere deberet, si nubere vellet, arg. l. XXI, ff. de *Actione empti.*, tamen etiam omnino abstinere potest a matrimonio; prout in simili, si quis dicat: *Nulli vendam domum meam, quam tibi,* licet teneatur huic vendere, si vendat; tamen potest a venditione omnino abstinere, et domum pro se retinere, arg. cit. l. *Si sterilis*, 21, § *Si tibi. ff. de Actione empti.*, ibi: « Si ita tibi fundum vendidero, ut nulli alii eum, quam mihi venderes, actio eo nomine ex vendito est, si alii vendideris. »

34. *Nisi aliud ex circumstantiis desumatur.* — Dicitur autem notanter, « nisi ex circumstantiis aliud prudenter colligatur; ea enim faciliter tales concurrere possunt, quod ex eis judex vel certum judicium, vel saltem prudens dubium de sponsalibus contractis formare possit; consequenter eundem non absolvere, sed vel ad ducendum condemnare, aut in dubio ad jurandum de intentione habita compellere debeat, juxta dicta n. 8, et dicenda infra: Similis circumstantia foret, si præfata verba antecedit, vel subsequitur copula, ea enim satis indicare, vel saltem prudens dubium causare videtur, similia verba amore sponsalitia esse prolata, uti in simili formula dubia bene observat Gobath., tractat. X, casu n. 63; Sporer, loc. cit. n. 186, universaliter docens, si præcedente mentione vel contractu de futuro matrimonio, cum dubiis verbis aut signis concurrat copula, verba illa aut signa censenda esse facta aut prolata affectu et intentione sponsalitia. Illud certum est, nulla fieri sponsalia, nisi conditionata, quando conditio apponitur, v. g. *Si aliquam ducam nullam quam te ducam;* sicut e contra pro certis sponsalibus haberi debent, si præfata formulæ addatur absoluta affirmatio de ducendo, v. g. *Te ducam, et nullam aliam:* vel *Nullam aliam ducam, sed te.*

35. *Verba illa: Tu es, vel si sis, vel eris mea, vel meus, an et quando sponsalia significant.* —

Resp. II. Illa verba: *Tu es, vel sis, vel eris mea* (du bist, vel wirst die Meyne seyn: vel *Ex tunc, ve' in posterum es, vel eris mea*, Vonjetzan vel hinfor, sollst, und wirst meine seyn, oder die Meine seyn); si proferuntur sine praesentia parochi et testium, quamvis sponsalia indicandi ex se generalem vim habeant, tamen in his partibus ad summum sponsalia dubia constituunt, nisi aliud ex circumstantiis colligatur. Ratio, quod sponsalia communiter indicent, est quia, licet si in praesentia parochi et testium proferantur, matrimonii contractum de praesenti significant, uti bene cum aliis docet Sanchez, loc. cit. disp. 18, a. n. 14, tamen quia proferentes illa sciunt, se absque parochi et testibus matrimonium contrahere non posse, haud dubie prudenter desumi potest, similia verba effecti et mente sponsalitia ab eis esse prolata, ita ut per *ly mea, vel meus* intelligant *mea uxor, meus futurus maritus*; consequenter sensus sit, *tu es, sis, eris mea futura uxor*; cum ordinarie non appareat, quid aliud per *mea, vel meus* in tali prolatione indicare vellent, si, uti supponitur, non de re alia, sed de futuro matrimonio, seu de sponsalibus agebatur, arg. l. *Ex conductio* ff. *Locati*.

36. Altera pars docetur a Gabath, loc. cit. num. 58; quem sequitur Sporer, loc. cit. n. 184. Ratio assignari potest, quia in his partibus *ly mea, vel meus* ordinarie non nisi amasium, vel amasiam indicare volunt; cum in pluribus Germaniae partibus eo demeritis deventum sit, quod plurimi et plurimae praesertim plebei sine certa sua amasia, vel amasio esse nolint. Consequenter quia juxta morem, usum, et consuetudinem patriae verba intelligere oportet, arg. c. *Ex litteris*, 7, h. t. et l. *Labeo* ff., de *Supell. legat.*, non debet, nec potest iudex in his partibus ex hujusmodi verbis certa, sed ad summum dubia praesumere sponsalia, consequenter proferenti juramentum de habita verborum intentione deferre, juxta dicta, n. 8, et dicenda n. 45. Et id maxime tunc procedit, quando expresse addunt terminum *Charissima*, vel *Charissimus*, dicendo v. g. *Tu es, sis, vel eris mea charissima*, (du bist, sollst seyn meine Gliebteste); quia hoc termino plerumque non nisi amasium vel amasiam ad nubendum non obligatum judicare solent: quamvis ex circumstantiis, uti dictum, etiam sponsalia colligi valeant; praesertim, si *ly mea* expresse addam *uxor*, juxta

dicenda infra n. 38. Caeterum jam ex hoc patet ad illam formulam: *Tu es, sis, vel eris mea charissima* (du bist, vel sollst meine Gliebteste seyn).

37. Verba: *Propino tibi ad matrimonium, quando significant sponsalia*. — Resp. III. Illa verba, vel verborum formula: *Propino tibi ad matrimonium* (Ich bring dirs auff die Ehe): respondens puella: *Deus benedicat* (gesegne dir's Gott), apud Germanos regulariter loquendo indicant promissionem, et repromissionem matrimonii, nisi ex circumstantiis constet illum, vel illam tantum jocari voluisse, Gobath, loc. cit., casu 1, quem sequitur Sporer, cit. part. IV, cap. 1, sect. 2, num. 18. Ratio est, quia Germani hujusmodi propinandi modo in variis locis verum contrahendi consensum exprimere consueverunt, consequenter juxta consuetudinem hanc loci, et usum loquendi sententia ferenda est, arg. cit. c. *Ex litteris*, 7, h. t., nisi, ut dixi, aliud colligendum sit ex circumstantiis, quae utique considerare oportet. Et certe in his partibus quavis puella a matrimonio ita propinantis abiret, vel non benediceret, vel vultu, responsione, aut gestu ita se gereret, ut quis praesens facile adverteret eam nolle matrimonium oblatum vel non suspicari de eo. Unde si poculum ita propinatum libere accipit, et sine ullius aversionis, vel joci exhibitione ebibit, aut saltem libere bibit, merito in foro externo de consensu sponsalitia judicatur, ut bene advertunt laudati doctores.

38. Verba: *Tu es, vel sis mea uxor mea, absente parochi prolata indicant sponsalia*. — Resp. IV. Verba illa: *Jam tu es, vel sis mea uxor: et ego vir tuus*, aut e contra (Du bist: oder sollst seyn mein Weib, und ich dein Mann), serio et absque joco prolata, parte altera annuente, in foro externo censenda sunt vera sponsalia; si absque praesentia parochi, et testium proferuntur. Ratio patet, cum enim haec verba in praesentia parochi et testium prolata, juxta communissimam constituant verum matrimonium, ut videre est apud Sanchez, loc. cit. disp. 18, num. 20; Sporer, loc. cit. Tamburinum, et alios absente parochi et testibus censenda erunt sponsalia et praesumendum, quod dum proferentes illa sciunt, sed de facto matrimonium ipsum inire non posse: velint per haec verba exprimere mentem, et consensum sposalitium ad matrimonium obligantem, prout in simili diximus supra num. 35. Et

certe ipsemet plures habui, qui hoc loquendi modo sponsalia contrahere plane intendebant, imo hunc modum contrahendi sponsalia pro perfectissimo reputarunt, hoc ipso, quod ad significandam mentem seriam sponsalitia efficaciora verba non judicarent, quam vocando invicem *virum, et uxorem*, intelligendo certo *futuram*.

39. Verba: *Non amplius te deseram; manebo tibi fidelis; constanter tibi adhaerebo; quando indicent sponsalia*. — Resp. V. Verba illa: *Promitto, quod non amplius vel nunquam te velim deserere*; (Ich versprich, dass ich dich nimmermehr, vel niemahl wolle verlassen, vel *Non amplius te dimittam*, Ich will oder werde dich nicht mehr lassen, oder verlassen): sicut et verba: *Constanter tibi adhaerebo*, praevia mentione vel tractatu de futuro matrimonio indicant, vel potius supponunt sponsalia. Sanchez, lib. VII, de *Matrim.*, disp. 18, num. 19; Gobath, loc. cit. num. 63; Covarruvias, et alii. Ratio patet, quia hoc ipso, quod si praecedente contractu et mentione matrimonii quis dicat: *Non amplius te dimittam, fidelis tibi manebo, etc.*, supponit, et indicat, quod jam habeat sibi conjuncta saltem obligatione sponsalitia, nisi circumstantiae aliud manifeste suaderent, vel alias prudenter colligere esset, quod tantum constantia, adhaesione, et fidelitati amasiam consueta, juxta dicta supra n. praeced. et n. 35 et 36. Et tunc praecipue verificatur, quando cum his verbis concurrat copula per dicta supra, n. 34.

40. Verba: *Promitto tibi amorem et fidelitatem meam, quando indicent sponsalia*. — Resp. VI. Illa verba: *Promitto tibi amorem et fidelitatem meam* (Ich versprich dir meine liebe und treu), ex se dubia et ambigua sunt. Sporer, loc. cit., n. 186; Gobath, loc. cit., n. 65, et alii; quia amor et fidelitas in pluribus exhiberi possunt. Et certe in Germania amasi et amasiae solent absque sponsalibus non raro mutuum sibi promittere amorem et fidelitatem, videlicet, quod nullam aliam amasiam, vel amasium habere velint. Caeterum si haec verba praecedente mentione vel tractatu de matrimonio proferuntur, haud dubie etiam intentionem sponsalitam indicare possunt, praesertim si accedit copula, juxta dicta num. 34.

41. *Si una pars promittit matrimonium, et altera praecise acceptat, dicendo v. g. placet, non sunt sponsalia. In ambiguis ac dubiis potius pro libertate quam obligatione judicare,*

ac interpretari oportet. — Quaeritur III. An in foro externo censenda sint sponsalia, si una parte promittente matrimonium de futuro altera pars reponat, *placet, accepto, vel gratias habeo pro beneficio in me collato*, vel omnino tacet (Ich lass mir's gefallen: nimbs vor bekeant an: vel bedanke mich vor diese Gnad, etc.). Resp. I. Quamvis quoad primam partem, si nempe altera pars expresse acceptat promissionem, discrepent doctores, uti videre apud Sanchez, lib. I, de *Matrim.*, disp. 5, n. 4, tamen sententia negativa probabilior est, eamque tenet Sanch., loc. cit. n. 5; Ledesma, de *Matrim.*, q. 43, a. 1, dub. 1; Engel, h. t., § 2, n. 8, et alii contra Pontium, Vasquez, et alios. Ratio est, quia ad vera sponsalia requiritur mutua promissio, seu repromissio juxta dicta n. 5, atqui quae simpliciter acceptat non repromittit, nec repromittere censenda est; tum quia in dubio magis praesumitur pro libertate, quam pro obligatione, l. *Arrianus*, 47, ff., de *obligat. et act.*, ibi: « Ubi de obligando quaeritur, propensiores esse debemus nos, si habemus occasionem ad negandum: ubi deliberando ex adverso quaeritur, ut faciliores simus ad liberationem; » et l. *Quidquid*, ff. de *Verb. signif.*, ibi: « Quidquid astringendae obligationis causa dictum est, id nisi palam verbis exprimat, omissum esse intelligendum est, ut certe secundum promissionem interpretamur, quia stipulatori liberum fuit verba late concipere. » Hinc est illa 30 regula juris in 6. « In obscuris minimum est sequendum; » id est, quod minus obligat et onerat; ergo etiam in casu conclusionis id facere, et consequenter dicere debemus, quod per illa verba compars promissionem sibi factam praecise acceptare, promittentemque sibi obligatum habere, non autem repromittere ac reciproce se obligare velit.

42. *Solvitur objectio*. — Objicies. Valet contractus matrimonii per verba de praesenti *accipio te in uxorem*, si mulier respondet *placet*; ergo servata proportione idem dicendum de sponsalibus. Resp. Cum Sanc., lib. I, de *Matrim.*, disp. 5, n. 6, negando consequ., et paritatem; quia matrimonium nullatenus claudicare potest, nec alia ratione acceptari, quam ut matrimonii secus est in proposito; nam quamvis sponsalia non possint claudicare, ut sunt sponsalia, nihilominus ut continent simplicem promissionem, possunt claudicare, et potest esse promissio absque ulterius repromissione, atque accep-